



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCLI. Bischof Jaromer von Camin beurkundet den zwischen den  
Markgrafen Otto und Konrad von Brandenburg mit ihm und mit der  
Stiftskirche zu Camin, namentlich über die Orte Colberg, Naugard, Jarmen  
und ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

quibus ipsa municio vel municiones obligate extiterant, tenebitur defalcare: si vero nos illam municionem, quam forte infra proximum annum elegerimus redimendam, in ipso anno ante prenotatum festum non redimerimus; tunc sex prenominati illam Domino episcopo aut suo successori vel suo capitulo presentabunt. Item Dominus episcopus vel suus successor aut capitulum suum habebunt potestatem denominandi et dandi ad redimendum nobis secundam et tertiam et quartam municionem premissarum. Item Domini de Stahilberg prelibati has literas in eorum tenebunt potestate, donec nos aut nostri heredes a Domino episcopo amoverimus actiones et impedimenta, que ipse in aliquibus dictarum municionum iam sustinet vel si que\*) ipsi in illis contigeret sustinere aut donec nos de aliis bonis nostris Domino episcopo aut successori suo vel suo capitulo illam restauracionem, que vulgariter dicitur ein Versatze ereximus juxta estimacionem et taxationem ante dictorum quatuor arbitratorum, vel si idem super ipsam Versatze concordare nequiverint, mediatoris memorati: alioquin si nos hujusmodi actiones et impedimenta non amoverimus vel . . . . non fecerimus; Nos Hermannus, filius Domini Ottonis Marchionis predicti, cum quinque militibus opidum Munrichstat intrabimus tandem in illo more fideiussorio permanfuri, donec illorum alterum effectum mancipetur. Porro homicidia\*\*) et damna in treugis\*\*\*) facta, commissa sunt eidem arbitris et mediatori decidenda. Ad obseruantiam autem premissorum Dominus episcopus suum successorem, si ipsum episcopum ante confirmationem preactorum\*\*\*\*) cedere vel decedere contingat, literis patentibus obligauit. In quorum premissorum testimonium atque euentiam plenioram hanc paginam nostris sigillis diligencius roboramus. Actum apud Sweinfurt, Datum vero in monte Brühberg, anno Domini Millesimo CCXC, tercio ydus May.

Nach Joh. Ad. v. Schultes, Hist. Schriften und Samml. ungebr. Urk. Abth. I, S. 177.

**CCLI.** Bischof Jaromar von Camin bekrundet den zwischen den Markgrafen Otto und Conrad von Brandenburg mit ihm und mit der Stiftskirche zu Camin, namentlich über die Orte Colberg, Raugard, Jarmen und Kerfow und über die Diöcesanrechte des Bischofs in den Brandenburgischen Landen geschlossenen Vertrag, am 25. Oktober 1290.

Jaromarus, dei gracia Camminensis Ecclesie Electus confirmatus, Omnibus cristi fidelibus presentem litteram intuentibus ad perpetuam rei memoriam Salutem in domino. Recognoscimus et presentibus publice protestamur, quod interuenientibus placitis amicabilem Inter illustres principes dominos Ottonem et Conradum Marchiones Brandenburgenses, nostros consanguineos dilectos, ex vna, Et nos et nostram Ecclesiam Camminensem parte ex altera est amicablem diffinitum, quod dicti domini marchiones brandenburgenses nomine suo et heredum suorum omne ius et proprietatem Ciuitatis Colberch, castri et ciuitatis in Nowgarde cum omnibus suis terminis, opidum Jermin cum omnibus

\*) Schultes: qua. \*\*) Schultes: homicidii. \*\*\*) Schultes: treugio. \*\*\*\*) Schultes: preactorum.

villis adjacentibus et omnia alia bona, que per nos et ecclesiam nostram Caminensem nostro et eius nomine usque in hodiernum diem possidentur, nobis et ecclesie nostre Caminensi liberali donatione dederunt, Sine omni impetitione ipsorum et heredum ipsorum perpetuo possidenda. In recompensam vero proprietatis omnium bonorum Caminensis Ecclesie, in quibus impetitionem habebant vel habere poterant principes antedicti, nos accedente nostri capituli consensu dictis principibus dedimus Castrum Kerkow cum omnibus mansis et terminis, qui ad illud castrum secundum iusticiam debent attinere, Ita tamen, quod si dominus bugeslaus, dux stetinensis, vel aliqui dictos principes ad hoc inducere possint cum eorum voluntate, ut infra annum et diem nunc proximo subsequenter renuntiarent iuri proprietatis predictarum terrarum et possessionum, que nobis et ecclesie nostre dederunt, tunc Castrum kerkow cum omnibus suis attinenciis apud nos et ecclesiam nostram sicut nunc libere permanebit. Terminos nostros, qui sceyde wigo dicuntur, quos nunc nos et ecclesia nostra et omnes, qui eos nomine nostro et ecclesie nostre possident, sine dictorum principum impetitione et impetitione in perpetuum possidebimus et possidebunt cum omni iure, sicut actenus sunt possessi. Nulla etiam castra vel munitiones ecclesie caminensis possint dampnum aut periculum sustinere. Adiciebant preterea principes antedicti, quod [si] nos nostrique successores capitulum ecclesie Caminensis et omnes nostri vasalli et homines bladum et frumentum suum, quod in villis nostris et ecclesie nostre simul et mansis nostris crescit, per terram ipsorum ducent in lokenitz et alibi sine omni thelonio et omni gravamine libere, quo voluerint, ad omnia sua loca. Omnem vero iurisdictionem nostram spiritualement, nobis nostrisque successoribus capitulo vel officialibus eorum competentem in prelatos, clericos et religiosos terre dictorum principum, non debent dicti per se vel per suos aliquatenus impedire. Si autem, quod absit, nobis nostrisque successoribus vel capitulo nostro inobedientes aliqui prelati, clerici vel religiosi aliquo casu extiterint vel rebelles, ipsos ad obediendum bona fide compellent principes antedicti. Denarios episcopales et omnia iura episcopalia nobis et ecclesie nostre in terris dictorum principum debitos vel debita, si in solutione defecerint vel exhibitione debitores, solvi consuetis temporibus procurabunt dicti principis bona fide. Omnes preposituras, prelaturas, archidiaconatus et rectorias nos nostrique successores in dominio dictorum principum conferendi liberam habebimus potestatem. Nos vero procurabimus, quod prepositi, prelati ac archidiaconi tales sibi iudices substituunt, qui omnibus conqueri volentibus, quoad ius prepositi competens et archidiaconis, in terra principum predictorum, non extra, faciant iusticie complementum. Medietatem autem prepositure nove terre vltra oderam bernardo, notario dictorum principum, conferemus pro tempore vite sue. Eo vero defuncto episcopus Caminensis, qui pro tempore fuerit, de ea ordinandi liberam habebit facultatem, sicut de aliis preposituris. Si vero dicti principes aliquam terram emerint vel aliquo casu aliquam terram ad ipsorum dominium deveniret, quotcumque mansos de nouo ad culturam redigerint, de singulis mansis nobis nostrisque successoribus dabunt vnum solidum denariorum brandenburgensium singulis annis. Si etiam nos nostrique successores et ecclesia Caminensis cum vicinis episcopis vel archiepiscopis de nostris terminis et limitibus ecclesie

nostre litem aliquam habere contingat, nos nostrosque successores et ecclesiam caminensem dicti principis promouebunt toto posse. Item profitentur principes sepedicti, episcopum Caminensem eiusque ecclesiam, suos subditos clericos et vassallos, in omnibus suis bonis, jurisdictione spirituali, decimis, imphendatis et non imphendatis, que vel quas possidet vel possident, se contra iusticiam non molestaturos, nec quod aliqua priuata lege contravenient in futurum. Et hec manu ad manum promissimul fide data. Testes huius sunt Baldewinus prepositus sancti blasii brunswicensis, fredericus vice dominus Caminensis, Hildebrandus prepositus Stetinensis, Johannes prepositus colbergensis, Johannes de oldenvlite, fredericus de Ekstede, Hasso de Wedele, Godefridus de Grifenberg, Th. de Woztrow, Johannes de blankenborch, milites et alii quam plures clerici et laici fidedigni. Actum ac datum in Girswalde, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Nonogesimo, octauo kalend. Nouembris.

Nach dem Originale des K. Geh. Kab. Archives 468, C.

**CCLII.** Die Markgrafen Otto und Konrad von Brandenburg beurkunden den vorstehenden Vertrag, am 25. October 1290.

Nos Dei gracia Otto et Conradus marchiones Brandenburgenses omnibus Cristi fidelibus presentem literam intuentibus ad perpetuam rei memoriam, salutem in domino. Recognoscimus et presentibus publice protestamur, quod interuenientibus placitis amicabilibus inter venerabilem patrem, auunculum nostrum carissimum, dominum Jaromarum, Caminensis ecclesie confirmatum, et ecclesiam Caminensem ex vna, et nos ac nostros Johannem ac Ottonem ac ceteros heredes parte ex altera, est amicabiliter diffinitum ita, quod omne ius et proprietatem ciuitatis et terre Colberg, castri et ciuitatis in Nowgarden cum omnibus suis terminis, opidum Jermyn cum omnibus uillis ibidem adiacentibus et omnia alia bona, que per dictum dominum confirmatum et suam ecclesiam et eorum nomine usque in hodiernum diem possidentur, ipsis dedimus sine omni impetitione nostra uel heredum nostrorum perpetuo possidenda. — Et hoc promissimus fide data. Hujus rei sunt testes: Baldewinus prepositus sancti Blasii in Brunswic, Fredericus vicedominus Caminensis, Hildebrandus prepositus Stetinensis, Johannes prepositus Colbergensis, Johannes de Oldenvlet, Fredericus de Egstede, Hasso de Wedele, Godefridus de Grifenberg, Thiethardus de Wostrow, Johannes de Blankenborg, milites; Zacharias notarius et alii quam plures clerici et laici fide digni. Datum et actum in Goswalde (sic), anno domini millesimo ducentesimo nonogesimo, octauo Kalendarum Nouembris.

Nach einer vom K. Archivar Freiherrn von Medem aus dem Dregerschen Codex manuscr. mitgetheilten Abschrift. Die ausgelassenen Stellen stimmen mit dem vorstehenden Vertragsinstrumente überein.